

DISPUTATIO TERTIA.

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, continens ἀνάλυσις capi-
tis secundi.

Cujus positiones,

Divina adjuvante gratia,

Præside

DAVIDE RVNGIO S.S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Vvitebergensi publico

defendet 12. Maij.

M. PETRUS ZABELER

Hainensis,



VVITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus

Pauli Helwichij, Anno 1599.



REVERENDO, ET
CLARISSIMO VIRO Dn. M.
GEORGIO LANGVOGT ECCLESIAE
Hainensis Superintendenti vi-
gilantissimo:

Nec non

AMPLISSIMIS, PIETATE,
ERUDITIONE AC PRUDENTIA PRÆSTAN-
tissimis Viris, Dominis Consulibus, totique
ordini Senatorio Reipub. Hainensis, Domi-
nis ac fautoribus suis omni observan-
tia studio plurimum colendis, posi-
tiones hasce Theologicas of-
fert ac dedicat.

M. PETRUS ZABELER
Respondens.

CAPVT SECVNDVM.

Continuat Apostolus hoc textu excu-
sationem vltima parte præcedentis capitis cœ-
ptam, ac falsæ accusationi levitatis opponit ve-
ras causas, quare, sicuti promiserat 1. Cor. 16.
Corinthum hæcenus non redierit. Quarum prima pertinet
ad eos qui in cœtu Corinthiorum scandalis erant obnoxij,
quibus parcendum statuit, ne eosdem coram durius tracta-
ret, cum melius sit eos per Epistolam admonitos corrigere
delicta sua, quàm ab Apostolo præsentem coram toto cœtu
confundi. Secundam causam ejus rei transfert in reliquum
cœtum Corinthiorum, qui etsi erat à corruptelis doctrinæ &
scandalis alienus, tamen ex ista gravi castigatione & censura
Apostolica non potuisset non magis contristari. Tertiam
causam refert ad seipsum, quod videlicet ideo noluerit adire
Corinthum, ne majori tristitia obrueretur. His tribus causis
adjungit insuper alias duas, de quibus in vltima capitis parte
dicetur. Deinde in specie accedit ad eum qui propter ince-
stum traditus potestati Satanæ 1. Cor. 5. & ex Ecclesia Co-
rinthiaca erat eiectus: Eum magno dolore animi & corporis
oppressum, & supplici voce petentem veniam, recipi jubet
Apostolus, ne a Satana laqueis desperationis irretitus æter-
num pereat. Deniq; de felici successu ministerij Apostolici et-
iam in alijs partibus orbis terrarum, ac de duplici eventu
prædicati Evangelij bono & malo differit.

Levitatis
nota dilu-
enda.

Sunt igitur partes capitis tres.

Prima est continuatio excusationis institutæ, quare
hæcenus non redierit Corinthum.

Secunda est Exhortatio ad recipiendum lapsum poeni-
tentiam agentem in gratiam.

Tertia est Gratulatio & gratiarum actio, de felici suc-
cessu prædicati Evangelij, & querela de sinistro ejusdem e-
ventu apud eos qui pereunt.

PRIMA PARS.

A 2

Ego

EGO autem. Orditur Lutherus ab hoc membro caput secundam propter evidentem coherentiam omnium membrorum. Redit enim nunc Apostolus ad objectam sibi levitatis suspicionem, quam accuratè diluit vltus causarum translatione, quarum prima est, quod Corinthiis parcere voluerit. Hanc amplificat & confirmat juramento: Testem invoco Deum in animam meam, quòd non aliqua levitate animi mutavi sententiam priorem, sed parcens vobis non veni Corinthum: Quia nimirum erant adhuc multa nondum correcta in Ecclesia Corinthiorum, Ne igitur præsens Apostolus gravius animadverteret in delinquentes, eosque hoc ipso gravius confunderet, differre adventum maluit. Huic causæ præoccupatio additur: Num vis nobis dominari? Minimè dominari constitui fidei vestrae, sed potius adjuvare gaudium vestrum ortum ex improborum emendatione. Fide enim statis, non nostro imperio aut dominio. Ego enim nulla ratione vos cogere possum, ut in agnita Evangelicæ doctrinæ veritate perseveretis, vel ut vitam aut mores corrigatis, sed hoc solius fidei vestrae à Spiritu sancto accensæ opus est.

*Parcendū
Ecclesie
vbi id fieri
potest.*

*Fides
& vitæ e-
mendatio
sunt opera
Spiritus
sancti*

Statui. Secunda causa spectat ad reliquum cœtum Corinthiacæ Ecclesiæ, alienum à scandalis & corruptelis doctrinæ: Constitutum sibi esse affirmat non venire Corinthum in dolore, nimirum si præsens intueretur nondum esse è medio sublata scandala doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ, superiori Epistola reprehensa, severa oratione coram redargueret lapsos & reliquos auditores totumq; cœtum contristaret.

Scandalorum effectus, est peccatorum tristitia. *Si enim.* Ratio hujus consilij est à fine reprehensionum suarum. Si, inquit, ego vos contristo, non id facio exultans aut animo lædendi quempiam, sed non nisi ingenti dolore animi, hoc fine, ut is qui ex mea reprehensione contristatur, poenitentiam agat, atq; ego hac ratione ex illius emendatione voluptatem capiam. Ita nimirum me exhilarabit is, quem ego contristavi.

PRIMA PARS

Et

Et hoc ipsum, &c. Tertia causa dilati adventus sui petita est à sua persona: Ideo nolui ad vos venire, ne ex dissolutione morum & disciplinae quæ in vestro cœru animadvertitur, dolorem caperem, cum ex consideratione tam nobilis Ecclesiæ à me plantatæ gaudium potius percipere deberem.

Confidens, &c. Præoccupatione diluit calumniam adversariorum, qui ex allegata postrema causa inferre poterant: Ergone tam es delicatus, ut nihil nisi gaudium & læticiam apud nos quæras? Respondet Apostolus: Confido vos ita erga me affectos esse, ut meum gaudium sit vestrum omnium; Id facit mutua inter nos charitas, qualis est inter parentes & liberos, quorum alteri congaudent alteris in felici rerum successu.

Nam ex multa, &c. Responsum hanc de dilectione mutua confirmat rationibus duabus, quarum prima petita à signis. Ego cum scriberem priorem Epistolam ad vos maximum animo dolorem percepi, adeo quidem, ut semel atque iterum lachrymæ confertim mihi exprimerentur. Consideranti tristem Ecclesiæ vestræ deformitatem, atque in doctrina & disciplina Ecclesiastica distractionem, hæ lachrymæ meæ signum sunt sinceri amoris mei erga vos.

Dilectio Pauli, erga Corinthios.

Non ut, &c. Altera ratio est à causa finali. Ego cum ista scriberem, non hoc spectavi, ut vos contristarem, sed ut abundantiam dilectionis meæ & sollicitudinis erga vos hoc ipso restatam facerem.

T H E S E S.

I.
Iuramenta in casu necessitatis licita esse contra Anabaptistarum deliria asserimus: Sicut hoc loco Paulus dicit: Testem invoco Deum in animam meam.

De iuramentis.

A 3 Est



II.

Est autem casus necessitatis triplex: Aut enim juramentum fidelitatis aut veritatis exigitur à Magistratu, in homagio, vel iudicio: Heb. 6.

III.

Aut insignis Dei gloria & Ecclesiae necessitas veritatisque assertio juramentum exigit, qualia sunt Christi juramenta, qui passim in historia Evangelica leguntur, & Pauli. Rom. 9. 2. Cor. 1.

IV.

Aut denique proximi infirmitas & eximia utilitas religiosam sermonis confirmationem postulat, qualia sunt juramenta in foederibus & pactis Gen. 21. 26. 31.

V.

Prohibitio juramentorum, quae extat Matth. 5. partim levitatem jurandi in nullo necessitatis casu, partim illicitas juramentorum formulas, factas mentione creaturarum concernit. Est enim juramentum species invocationis, qua verus Deus religiosè ut testis & iudex appellatur.

VI.

Lapsi in Ecclesia circumspèctè tractandi sunt à ministris verbi, ut intelligant, non quæri confusionem aut eversionem suam, sed emendationem & salutem.

De recipiendis lapsis.

VII.

Non est igitur indulgendum effectibus aut privatis odiis in ministerio, quod nequaquam est dominium, sed ministerium prædicandi verbum & administrandi Sacramenta.

VIII.

Impia & Antichristiana tyrannis est Papa Romani, qui sub prætextu officii Apostolici quæsit imperium in Ecclesia & fingit omnia regna mundi tradita potestati Petri, condit in Ecclesia novas leges, pugnantès cum verbo Dei & Christiana libertate, Proscribit Reges & Principes & regna pro arbitrio, insolenter nugatur se errare in doctrina

De primatu. Papa

Strina non posse, se à nemine mortalium, ac ne quidem à concilio totius Ecclesiae Christianae judicari posse, sed omnibus superiorem esse tanquam terrenum aliquem Deum.

IX.

His furoribus respondet etiam praxis curiae Romanae, in qua omnes gentes ad oscula pedum Papae abjiciuntur, Reges omnes tanquam mancipia & satellites tricipitis bestiae aestimantur. Hoccinè est quod Paulus inquit: Non dominamur fidei vestrae? Et Petrus, 1. Epist. cap. 5. Non dominantes in clero? Hoccinè est ministrare 1. Cor. 4, & personam servi servorum agere?

Praxis autem Romanae.

X.

Certum autem est, neque Petro neque reliquis Apostolis ullam partem domini vel in Ecclesia, vel in Republica commendatam esse: Illa enim solum & unicum saltem agnoscit Dominum Iesum Christum 1. Cor. 8. à cuius voce dependet. Hæc verò, miranda Dei sapientia in multa regna & principatus divisa est, quam distinctionem non tollit Evangelium, nec abolet politias.

Solus Christus est dominus Ecclesiae.

XI.

Paret hinc etiam neq; Papam neq; Concilia aliquid decernere debere, quod ulla in parte novum dominium fidei aut conscientiae stabiliat: Quod cum ab vtrisque multoties factitatum sit & fiat quotidie, manifestum est, tam illum, quam hæc turpiter errare posse.

Papae Concilia possunt errare.

XII.

Perseverantia in agnita veritate & pio proposito non est opus humanae rationis, sed fidei, accensae à Spiritu Sancto, per quam à sordibus peccatorum subinde surgentes stamus in militia Domini Spirituali. Hinc Paulus inquit: Fide statis.

Perseverantia.

Non



Inquisitio
Hispani-
ca

Non potest cogi fides in conscientiis hominum: co-
acta enim fides, quæ ex metu periculi alicujus exurgit, non
est fides, sed mera hypocrisis. Tyrannis igitur inquisitio-
nis Hispanicæ tanquam nota Romani Antichristi exe-
cranda est.

SECUNDA PARS.

De pecca-
to ince-
stuosi.

Transit deinceps Apostolus ad eum, qui novercam
duxerat in cœtu Corinthiorum, atque hac de causa ex-
communicationis fulmine ictus, 1. Corinth. 5. in gra-
vissimum animi mœrorem inciderat, atque ut aliqui
arbitrantur, corporali obsessione à Diabolo excrucia-
tus fuerat. Ac primum de ejus lapsu paucis agit ver-
bis, quia id nunc adversus pœnitentem & afflictum ne-
cesse non erat. Si quis vestrum inquit, ἀλύπκηρ, quod
verbum absolute sine casu positum hoc loco accipiendum:
Si quis ullius doloris aut tristitiæ autor extitit, is non me
contristavit potissimum, sed vos, quorum famæ tur-
pissimo libidinis exemplo apud omnes pessimam labem
asperit. Hoc dictum correctione limitat ἀπὸ μέ-
γυς indicans, se quoque ex parte doloris affectu ac justa in-
dignatione fuisse commotum propter Ecclesiam à se plan-
taram tam fædè & enormiter deformatam. Altera corre-
ctio reprehensionis, qua usus erat. 1. Cor. 5. ubi non tam
scelus incestuosi, quam Corinthiorum in eo vindicando osci-
tantiam accusaret, id nunc restringit se nolle omnes ag-
gravare hac culpa, aut totam Ecclesiam accusare, sed tan-
tum cum scandalorum autoribus sibi negotium esse.

Censura
Ecclesia-
stica.

Secundo loco, de ejusdem pœna Ecclesiastica agit.
Sufficit illi ἐπιτιμία hæc, quæ fit à pluribus. ἐπιτιμία hoc
loco non de politica pœna est accipienda, (Nondum enim
accesserat ad Ecclesiæ societatem Magistratus politicus,)
sed de pœna canonica, tum vehementi reprehensione sce-
leris, tum exclusionem ex cœtu Ecclesiastico irrogata ince-
stuoso à pluribus, hoc est, totius Ecclesiæ consensu.

Tertio



Tertio de ejusdem receptione & reconciliatione cum Ecclesia. Postquam enim ille satis castigatus est, monet Apostolus Ecclesiam, vt eidem condonet lapsum, & consoletur eum verbo Evangelij: Id non vult fieri perfunctorie, aut quo ad speciem externam, sed firma & constanti charitate: sic enim nominat κρυῖσθαι ἁγῶν, hoc est dilectionem certis indubitatisq; testimonijs confirmare, ita ut lapsus infallibili documento perspicere possit, se verè in gratiam receptum esse.

Huic mandato de recipiendo in Ecclesiam lapsu rationes aliquot exhortatorias adjungit. 1. A prima causa finali; Ne absorbeatur abundantiori tristitia vir hujusmodi. Hac phrasi desperationis malum circumscribit Apostolus, quando videlicet mens humana, seridè agnoscens peccata & iram Dei, & nihil omnino sentiens consolationis, Deo gratiam Spiritus S. subtrahente, abundantia doloris absorberetur.

Quare lapsus poenitentiam agens sit recipiendus.

2. A secunda finali causa, vt nimirum & hac in parte obedientiam erga Apostolum vestrum experimento cognoscant: Sicuti in eo excommunicando vos morigeros mihi præbuis.

3. Ab honesto, Ego Apostolus vester jam condonavi eidem poenitenti lapsum, idq; feci non autoritate privata, sed in persona Christi, neq; spectavi hac in re meum aliquod commodum, sed Ecclesie vestrae ædificationem. Aequum igitur est vos quoq; eidem condonare, quem à me in Christi persona in gratiam receptum intelligitis.

4. A tertia finali causa, videlicet ad præcavendas Diaboli astutias. Vt enim primus finis hujus receptionis est ipsius lapsi consolatio, ne absorbeatur nimio mœrore: Ita vltimus est Ecclesie totius consolatio & præservatio ab insidijs Diaboli. Emphatica vox πλεονεκτημασιν notat Satanam tantum astutissimum mercatorem & avarissimum multa habere & plurimas fallendi artes meminisse. Possit igitur ex hoc nimio Ecclesie erga lapsos rigore novam animam captare aliquos circumveniendi, atq; æternæ salutis lucro defraudandi. Hanc rationem Epiphonemate

Satanæ pleoneκτηματα.

B

memora-



memorabili illustrat. Non ignoramus inquit νοήματα, id est cogitationes & machinationes, quas singulis momentis ad evertendam piorum salutem æternam texit.

T H E S E S.

I.

*De exco-
municati-
one.*

Excommunicationis fulmen in neminem est vibrandum sine ordinaria causæ cognitione & Ecclesiæ consensu; Ideo hoc loco vocatur ἐπιτιμία à pluribus imposita, Et 1. Cor. 5. Congregatis vobis & meo Spiritu decrevi ejusmodi hominem tradere Satanæ.

II.

Non debet spectari in hoc actu personarum confusio, vt evertantur, & vel in Epicuræ profanitatis abyssum præcipitentur, vel sensu desperationis absorbeantur, sed vt sanentur redeantq; in viam. 1. Cor. 5.

III.

Ideo lapsi in atrocita peccata etiamsi vel Christianam religionem abnegassent exemplo Petri Apostoli, si pænitentiam agentes lapsum suum confiteantur & petant veniam, sunt recipiendi in sinum Ecclesiæ, sicut ostendunt exempla Petri, Davidis, Aaronis &c.

IV.

*Euseb. l. 5.
cap. 43.
Cypr. Epi-
stol. 6.*

Merito explosa est Novati sententia denegantis veniam his, qui post regenerationem iterum graviora peccata contra conscientiam commiserant.

V.

*Novati
præcipua
argumen-
ta.*

Nam quod ille dixit, aplos jam spiritualiter mortuos esse, ac proinde Deo judici pronuncianti sententiam Matth. 10. v. 32. committendos, Et pauciores fore martyres, si lapsi abnegantes recipiantur. Quod delinquentium peccata transeant ad illos, qui eos in Ecclesiam recipiant: Quod deniq; Apostolus ad Heb. 6. ac 10. omnem spem veniæ adimat

mat huiusmodi hominibus, in his & similibus manifesta est
veritatis depravatio.

VI.

Christus enim ipsemet Petrum post abnegatam ve-
ritatem in gratiam recepit, & hoc atq; similibus exemplis
ostendit eos, qui spiritualiter mortui sunt, per Spiritus S.
gratiam vivificari iterum posse. Neq; magis reatus pec-
cantium transit ad Ecclesiam, pœnitentes recipientem,
quàm Christus rapinis & mendacijs publicanorum pœni-
tentium est pollatus eosdem recipiendo.

Solutio.

VII.

Impium autem est ideo lapsis negare veniam, vt mul-
ti fiant martyres, cum non sint facienda mala vt eveniant
bona Rom. 3.

VIII.

Testimonia Epistolæ ad Hebræos non denegant pœ-
nitentibus spem veniæ, sed ostendunt, eos qui ad mortem
peccant & veritatem agnitam hostiliter blasphemant,
Christum denuò crucifigentes & sanguinem illius pedibus
conculcantes, non redire ad pœnitentiam, aut hostiæ salu-
tatis merito denuò frui, sicut & Christus docet, Matth. 12,
Luc. 12.

IX.

ἐπιτιμια verò publicæ, quæ enormiter lapsis inq;
gratiã recepris fuerunt impositæ, etsi à patribus directæ fu-
erunt ad alios terrendos: Tamen quia ritus isti nimio ri-
gore fuerunt exasperati, & attraxerunt opinionem satisfac-
tionum in Ecclesiam, & falsam persuasionem necessitatis,
quasi sine his publicæ pœnitentiæ spectaculis peccata re-
mitti non possent, & multos coniecerunt vel in Epicureis-
mum, vel in desperationem, meritò in Ecclesia sunt abro-
gati.

Contra sa-
tisfactio-
nes.

Cypr. l. 7.
Epist. 20

X.

Estq; memoria dignissimum, quod in hoc nobili ex-
emplo incestuosi Corinthiaci in Ecclesiam recipiendi, nul-
la omnino mentio sit ab Apostolo ullius satisfactionis Ca-
nonicæ.

B 2

Sed

*Ipsa ex-
commu-
nicatio
dicitur.
ἀποτί-
μιζ.*

XI.

Sed contrarium manifestissimè ostendunt verba: Sufficit illi hæc multa à pluribus irrogata. Volo ut è die verso eum consolemini, ne absorbeat dolore. Si sufficit: Non ergo ulterius aliqua poena eidem infligenda. Si talis est consolatione erigendus, non utique novo afflictionis genere onerandus.

XII.

Nihil præterea hic vides præcipere Apostolum de indulgentiis à sede Romana expetendis, nihil de peregrinationibus ad statuas & similibus ineptiis, quas Synagoga Antichristi Romani peccatoribus poenitentibus satisfactio- nis loco imponere consuevit.

TERTIA PARS.

Troas.

*Ostium fi-
dei.*

Postrema capitis pars est narratio de felici successu prædicationis Evangelicæ, cui quartam ascribit causam dilati hætenus adventus sui ad Corinthios, quod nimè- rû liberatus ex periculo, in quo fuerat in Asia, profectus sit Troaden ad docendum Evangelium. Est autem Troas oppidi nomen in regione, quæ itidem Troas & alias Phrygia minor appellatur. Illic cepit docere Euan- gelium Apostolus, non sine fructu: id enim Phrasi scripturæ usitata significat apertio ostii sicut Actorum 14. appella- tur ostium fidei, 1. Cor. 16. Ostium mihi apertum est. Col. 4. v. 3. Orate pro nobis, ut Deus nobis aperiat ostium ser- monis. Significat autem hæc phrasis non tantum occasio- nem docendi monstratam, sed simul prædicati Evangelii successum, receptionem & efficaciam, dum auditores qua- si aperti ostiis Christo locum relinquunt ingrediendi. Sumta est ex Pl. 24. Attollite portæ capita vestra, & ingre- diatur Rex gloriæ,

Non habui. Quintam causam adventus sui impediti conjicit in Titum, quem peregrinationis comitem sibi ele- gerit, cujus absentia itineris sui rationes non nihil ait fuisse turbatas, ita ut in Macedoniam coactus fuerit proficisci.

Deo

Deo autem gratia, &c. Ab hypothese transit ad thesin
de ministerii Evangelici efficacia, quam amplificat, Primò *Efficacia*
gratiarum actione, referens omnia ad autorem Deum. *se-* *minist-*
cundò tribus similitudinibus, quarum prima confert mini- *rii.*
sterium militiæ fortunatæ ac felici, quam sequitur victo-
ria & triumphus: Sic & nos inquit, triumphare semper
facit Dominus per & propter Christum. Secunda simi-
litudo confert ministerium Sacerdotibus veteris Testa-
menti, qui non nisi odoratas vestes sacro oleo unctas ge-
stabant, & thymiana ac sacrum thus accendentes suavi-
tate odoris omnia in tabernaculo ac templo implebant:
Imò ipsa sacrificia dicebantur odor suavitatis Gen. 9. Ita
& per nos odorem noticiæ de Christo manifestat Deus in
omni loco. Hanc similitudinem illustrat egregia senten-
tia de diversis Evangelicæ doctrinæ effectibus: Nos inquit,
Christi bonus odor sumus, per metonymiam causæ Apo- *Apostoli*
stoli ipsi dicuntur Christi bonus odor, quia nimirum ipso *sunt odor*
rum ministerio doctrina Evangelii de Christo, tanquam *Christi.*
balsami nobilissimi halitus, sparsus fuit passim in toto ter-
rarum orbe.

De dispari autem effectu ejusdem ait; Sumus Christi
iudex, tum his qui salvantur, tum his qui pereunt: Aliis
quidem odor mortis ad mortem, aliis odor vitæ ad vitam. *Diversus*
Sanè Evangelium per se est odor ad vitã, recreans ac vivificans *effectus*
divina ac cetera consolatione animas, voce legis & terroribus *Euange-*
mortis consternatas. Per accidens verò fit odor ad mor- *lii.*
tem incredulis, quorum conscientia hac doctrina percel-
luntur, ut magno impetu ruant in exitium. Sicut enim lux
solis excæcat noctuarum oculos; sic Evangelii lux creden-
tes illuminat Ioh. 1. incredulos excæcat. Et sicut oleum *Lucretius*
amaracinum odoris sui vi confortat hominem, & sues ve- *& Gellio*
neni instar extinguit: sic odor Evangelii reprobis cedit *us.*
ad mortem.

B 3

Et

Et adhæc &c. Alia inseritur amplificatio ministerii à consideratione causæ efficientis: quis est adhæc idoneus? In nullius hominis viribus est alios docendo vivificare, aliorum hypocrisin detegere, sed hoc solius Dei est.

Non enim &c. Tertia similitudo sumitur ab his qui nobiles merces vendunt, quorum aliqui eas incorruptas relinquunt, alii verò & quidem plurimi exercent *καπηλεύει* ap easque adulterant. Nos vero inquit Apostolus, qui sumus bonus Christi odor, non adulteramus verbum Dei tanquam *καπηλεύεται* adulterantes vinum, sed loquimur & docemus ex sinceritate, hoc est, ex sincero affectu cordis, sine ullo additamento humanarum traditionum: Idque facimus non ex nobis nostrisque viribus, *Sed ex Deo*: Neque id perfunctoriè tractamus, sed magna cum religione & singulari devotione, utpote *Coram Deo* & in conspectu illius, tanquam supremi iudicis & vindicis.

T H E S E S.

I.

Ministerium & prædicatio Evangelii per se nemini est odor ad mortem, sed omnibus hominibus est odor ad vitam, ratione ordinationis divinæ.

II.

*Decretum
Dei de sa-
lute homi-
num.*

Sicut enim Deus decrevit omnes salvos facere, per Christum fide apprehendendum, ita quoque omnibus hominibus hanc suam voluntatem per prædicationem Evangelii, ministerio Apostolorum & successorum annunciari voluit.

III.

Vocat autem Dominus serid omnes homines ad pœnitentiam Act. 17. Et vult, ut omnes ubique agant pœnitentiam, & salventur.

Neque

IV.

Neq; huic suae patefactae voluntati, contrariam quano-
dam nunquam animo concepit, quasi velit quosdam abso-
luto suo beneplacito perire. Id enim cum veritate Dei
& manifestis promissionibus ac juramentis ejusdem, pu-
gnat, Ezech. 18, 33. 1. Tim. 2. 2. Petr. 3.

V.

Quemadmodum igitur Evangelij vox neminem ex
decreto Dei occidit, sicut capite sequenti dicendum erit:
Ita quoq; ratione doctrinae, quam proponit, nemini mor-
tem infert: Id enim Legis in hac natura corrupta propri-
um est, non Evangelij.

VI.

Fit autem per accidens doctrina Evangelij de Chri-
sto crucifixo quibusdam hominibus odor ad mortem, quo-
rum videlicet malitia & cavillandi τὸ κακῶν δὲ ἀνσῆμ
occasionemq; ex eadem capit irridendi & blasphemandi
totum hoc doctrinae genus tanquam stultum. 1. Cor. 1.

*Evangelij
doctrina
odor ad
mortem.
1.
Blasph-
mis.*

VII.

Pharisaei praeterea justiciarum & Monachi plurimum
tribuentes operum suorum meritis, quando intelligunt ea
abijci & prosterni per doctrinam de gratia & unico Media-
tore Christo, & gratuita justitiae imputatione, hostiliter
insurgunt adversus hoc gratiae praeconium, atq; sic damna-
tionis reatum graviolem sibi attrahunt, Matth. 10.

*2.
Justicia-
rijs.*

VIII.

Fit quoq; haereticis doctrina Evangelij odor ad
mortem, captantibus nimirum in ea occasionem ostens-
tandae scientiae & eloquentiae & depravantibus praeci-
pua doctrinae capita ad suos nutus 1. Corinth. 1. 1.
Tim. 6.

*3.
Haereticis*

Deniq;



IX.

4. Deniq; Epicuræis contemptoribus verbi, omnibusq;
epicureis impijs & incredulis vox Evangelij fit odor ad mortem, dum
& *impiis*, ipsorum conscientia cumpunguntur & convincuntur hoc
testimonio, vt ignorantiam prætexere nullam pos-
sint: Quo sensu Christus dixit, hoc ultimo
mundi ævo prædicatum iri Evange-
lium omnibus gentibus in
testimonium

Mat. 24.

SOLI DEO GLORIA.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,







12

DISPUTATIO TERTIA.

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, continens ἀνάλυσις capi-
tis secundi.

1599, 3

*Cujus positiones,
Divina adjuvante gratia,
Præside*

DAVIDE RYNGIO S.S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Vvitebergensi publico

defendet 12. Maij.

M. PETRUS ZABELER

Hainensis.



VVITTEBERGÆ.

Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus

Pauli Helwichij, Anno 1599.

